





1723, 2^a Pri. 48. num. 3. 2

**SUCCESSIONEM
INTER INGENVOS JURES ANGVINIS
AB INTESTATO
CIVILEM**

IN ALMA ET PER ANTIQVA HIERANA
MAGNIFICO RECTORE
REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI
DOMINO

DOMINO

JO. JOACHIMO HAHN

EPISCOPO METELLOPOLITANO

ET RELIQA

**SVMORVM IN VTROQVE JURE
HONORVM**

ADEVNDORVM CAUSA

ANNO cl bcc xxiii. iv. JAN.

PUBLICO EXAMINI SISTIT

**M. GEORGIUS CHRISTIANVS
GEBAVERVS**

FACULT. PHILOS. LIPS. ADS. ET ADV. JUR. SAX.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



P. 274



SVCCSSIONEM
INTERINGENOSI VRESANGVINS
AB INTSTATO
CIVILEM
IN ALMA ET PERANTOVA HIBIANA
MAGNIFICO RECTORE
REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI
DOMINO
DOMINO
JO. JOACHIMO HANN
EPISCOPO METROPOLITANO
ET RELIGIO
SVMONVI IN VITROOVE JURE
HONORVM
ADEVNDORVM CAUSA
anno dñi 1600 XIII Id. Jan.
PABLICO EXAMINI SISTIT
M. GEORGIVS CHRISTIANVS
GERBARIVS
PABLICO EXAMINI SISTIT
ERGO, Typo GROSCHANN, Arab. Typog.



ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CHRISTOPH. JOST
ZANTHIER

DYNASTÆ SIEGELSDORFII

ET RELIQA

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS
POLONIARVM ET ELECTORIS SAXONIAE

MINISTRO STATVS

ET

CONSILIARIO INTIMO

FELICITATEM!



ILLVSTRISSIME DOMINE

DOMINE GRATIOSISSIME



*Vod ad TE, Virum in Republica nostra Prin-
cipem, & in sublimi Salutis Publicæ specu-
la collocatum, dissertationem academicam,
rem tenuem, fateor, & levem deferam, cum maxime
alia TVAE Virtutes me impulerunt, tum, præter in-
credi-*

credibilem TVAM Comitatem, Amor bonarum literarum excellens, & eas ornandi amplificandique Studium summum. Inter has, cum loco non ultimo censeantur Bonæ Literæ Juridicæ, quæ, licet ad controversias civiles decidendas, solvendosque nodos litigantium Gordios nihil conferre videantur, ornant tamen Fori studiosum, a turbæ forensis vulgo secernunt, & ad tenendam Legum Civilium vim atque potestatem manu veluti ducunt, ut absque earum præsidio nemo Jcti veri & docti laudem videatur posse tueri: non dubitavi Inauguralem meam ab istis literis non alienam TIBI, PATRONE GRATIOSISSIME, dedicare commendareque. Quod magis excusat, herbam TIBI, ILLVSTRIS-SIME DOMINE, porrigo, quæ amplam spondet messem: Si enim Divinæ Bonitati placebit, Jura in Academia docendi provinciam, quam non nudius tertius suscepi, mihi facere propriam atque perpetuam, sane eo annitar & ore & scriptis, ut vera Leges interpretandi ratio, quam alii pro arcani quadam disciplina, alii pro infelici lolio & sterili avena habent, explicetur magis atque studiose juventuti commendetur. Verum enimvero, ut literæ a multis tanto fastu sprete atque conculcata erigantur iterum atque constituentur, opus habent Patronis Illustribus & humaniorum literarum

Stato-

Statoribus atque Amplificatoribus, qualem TE, EX-
CELLENTISSIME DOMINE, nostrae aetati contigisse
novi. Accipe itaque placidissimo vultu exiguum
munus, exiguique muneris auctorem TVA Gratia de-
fende atque orna, ut majori olim hostia litare liceat,
S, quanta veneratione TVAM EXCELLENTIAM
colam, apertius ostendere possim

ILLVSTRISSIMI TVI NOMINIS

Dabam Erfordiae

CLMCCCXXXIIII

XXX DEC.

Cliens obsequentissimus

GEORGIUS CHRISTIANVS GEBAVERVS.

PRÆFATIO



Udum est, quod meliorum Jctorum Senatus censuit, eos demum recte atque ordine facere, qui per humaniorū literarum adyta, & antiquitatis historiæque veteris sacrarium in augustissimum Legum Civilium templum ingrediuntur. Præiverunt & faciem prætulerunt, superiore, &, quod istud proxime antecessit seculo, Jcti omnium, quæ istis legibus reguntur, gentium longe clarissimi, quas sequi, comitari, æmulari non pulcrum modo ac decorum habetur, sed utile etiam est atque necessarium. Eruerunt aliqui ex omni veteri memoria XII. Tabulas consuerunt explicarunt; alii de legibus & Senatus consultis in uniuersum commentati sunt; alii eadem singularibus libris illustrarunt. In perpetuo Edicto elaborarunt alii, in Fastis concinnandis, in Fragmentis Jctorum ab interitu vindicandis, in Codicibus Constitutionum Principalium suo nitore restituendis, qua fini? ut Leges a Justiniano Imperatore promulgatæ vel compositæ intelligantur, tum etiam, ut doctrinæ de omni Romano Jure pomœria quam latissime proferantur. Hactenus Viri, ad quorum imagines me meam indolem formare, meas copias instruere, qui negem? Quamvis enim probe, & illis, qui hæc studia contemnunt, rectius norim, non superesse Jus Prætoris, Locum, ubi salva maiestate Imperii sui saluoque more majorum jus dicat, enitendumque esse cuilibet, ut in publicis aut privatis rebus
la-

lapia erigat, fatigata reparet : nondum tamen pudet profiteri nomen inter eos, qui legum civilium scientiam absque isto historiarum & antiquitatum præsidio, nec acquiri, nec conservari posse existimant, etiam postquam didici, hanc ipsam lucem, ad quam meos manu ducere soleo, ab hominibus ad istam, caligantibus, in vituperium verti. Animus prope magis incensus est, constitutumque, non cedere malo, contraque audentius ire; quo facto venit in mentem, fore e re nostræ artis, nunc quicquid ex vetustatis naufragio tabularum assularumque legitimarum superest, & quicquid a Viris doctissimis diligentiarum in iis detergendis emaculandisque adhibitum, colligere in unum omnia, ordinare, quo datur, modo conjungere inter se, & construere, atque ita justam, qua licet, Legum Romanarum Historiam (ignoscant Magni Consilii abjecto vocabulo) a Decemviris ad Justiniani ætatem condere. Consilium inii, nec publicassem, nisi honorum adeundorum causa ritu veteri aliquid scribendum fuisset. Periculum feci in *Successione inter ingenuos jure sanguinis ab intestato civili*. Perfecti nihil est, fateor, sed commentatio, qualem aliis multis occupationibus mancipatus intra paucos dies effundere potui. Meliora olim, (si visum Numini) neque enim opus in nonum, ex præcepto Poetæ, sed nonum decimum, que premetur in annum. Interea eorum, quæ minus recte dicta erunt, ab intelligentibus veniam mihi concedi rogo, meliora monituros vicissim auditurus patienter.

SVC.

SUCCESSIO
INTER INGENVOS
JURE SANGVINIS
AB INTESTATO CIVILIS.

CAPUT I.
EX LEGE XII. TABVLARVM
ET INTERPRETATIONE PRVDENTVM.

TABVLA V,

A ST SINTESTATO a) MORITVR b) CUI SVS HE-
RES c) NEC ESCIT d) AGNATVS PROXIMVS FAMI-
LIAM

a) Repetito vocabulo, PATERFAMILIAS ἀπὸ τοῦ κληῖ, GOTHOFREDUS.

b) Hæc verba debemus PAULO l. 9. §. 2. D. de lib. & postum.

c) Falli eos ait GOTHOFREDUS in *notis*, qui in XII. singulare caput fuisse de *Suis* existimant. Manifeste PAULUS in l. 7. de *Bon. Damnat. Rationem naturalem quasi legem tacitam liberis parentium hereditatem addixisse, iisdemque in jure civili heredum Suorum nomen inductum.* Non adeo opus habuere Sui legis civilis auxilio, quæ iisdem, cum rem aliunde haberent, nomine præcipuo succurrit. Decemviri etiam eos in jure suo non fecere heredes, sed posuerunt in conditione.

d) Pro erit, ut ex *Festo & Lucretio* probat GOTHOFREDUS in *Glossario.* Ipsa verba; CUI SUUS HERES NEC EXTABIT habet ULPIANUS tit. XXXVI. pr.

LIAM e) HABETO f) SI AGNATUS NEC ESCIT HERES
GENTILIS FAMILIAM NANCITOR g)

SECTIO I.
SVI.

I. Intestatorum hereditates primum ad *Suos* per-
tinent. GAJVS Lib. II. Tit. 8.

II. Intestatus est, qui testamentum facere non
potuit, impubes, furiosus, cui bonis interdictum, ca-
ptus ab hostibus; aut facere potuit & fecit, sed ipse
linum abruptit; aut fecit, sed non jure; aut fecit ju-
re, sed illud vel ruptum est postea, aut irritum factum,
aut destitutum, aut rescissum. ULPIANUS l. 1. pr. D.
de Suis & legit. PAULUS *Recept. Sent.* lib. IV. Tit.
8. §. 1.

III. Sui heredes sunt filius, filia, in potestate pa-
tris constituti, & secundum legem Juliam, Papiamve
quæsi h) modo maneant in potestate. ULPIANUS
l. 1. §. 2. D. *de Suis & legit.* PAULUS *Recept. Sent.*
Lib. IV. Tit. II. §. 4.

IV.

e) i. e. res defuncti. ULPIANUS l. 195. pr. D. de V. S. & ita etiam acci-
pitur vocabulum in iudicio Familie heriscundæ, quæ actio, ut GAJVS ait
l. 1. pr. D. fam. herisc. pariter a lege XII. Tab. proficiscitur.

f) Ipsa verba debemus ULPIANO l. 195. s. 1. D. de V. S.

g) ULPIANUS, in *Collatione legum Romanarum & Mosaisarum* Tit. ult. ex
emendatione Cl. SCHULTINGII.

h) Videatur JACOBUS GOTHOFREDUS ad d. l.

IV. Sui dicuntur ἀσυνληγγοίμοι ipso jure & suo heredes ἰ) οἰκτανοὶ κληρονομοί, domestici heredes & vivo patre quodammodo Domini. GAJUS l. 14. D. de Suis & legit. IMPERATOR §. 2. J. de hered. qual. & diff.

V. In Suis adeo aditio non est necessaria, GAJUS l. 14. D. de Suis & legit. & heredes ipso jure, etiam ignorantes constituuntur, ut furiosi, aut infantes, & peregrinantes. PAULUS Recept. Sent. Lib. IV. Tit. IIX. §. 5. k)

VI. Sui etiam sunt illi, qui ex Lege Aelia Sentia, vel ex SCto post mortem patris causa probata l) in

j) Eo pertinere videtur responsum PAPINIANI in l. ult. D. de Suis & legit.
k) In suis heredibus adeo, pergit PAULUS s. 6. ad mortem testatoris rerum hereditariarum dominium continuatur. Non placet CL. SCHULTINGIO vox Testatoris, quandoque de intestatis hic est sermo: Nec sane mihi. Illud vero: ad mortem, prorsus Cl. V. videtur absurdum, & mavult cum IMPERATORE s. 3. J. de heredit. qua ab Int. def. a morte parentis. Sed fortius dici reor, in suis heredibus, vivo patre, ut alibi loquitur IMPERATOR, quodammodo Dominis, rerum hereditariarum Dominium continuari ad mortem, i. e. post mortem, quam patris Dominium a morte ejus continuari in Suis heredibus. Pati autem linguae latinae rationem istam locutionem Ad mortem pro: Post mortem, idoneus auctor est JULIANUS in l. 18. s. 2. D. de manu miss. testam. Sed multo magis haec: ad annum liber esto, ita accipi potest, post annum, quam moriar liber esto, & licet hoc modo accipiatur, post annum, quam hoc testamentum factum erit, liber esto, si e venerit, ut intra annum testator decedat, inutilis non erit.

l) Matrimonium nempe dispar per errorem esse contractum, quo probato, ex L. Aelia Sentia vel ex SCto in eandem rem confecto civitas reddebatur tam liberis quam parentibus, & ex eo fiebant in potestate parentium liberi, teste ULPIANO in fragm. Tit. VII. s. 4. ex Emendatione PITHOEI in notis ad Collat. Leg. Mos. & Rom. adeoque etiam parentium heredes Sui. Placuit autem benigna interpretatione causam etiam post patris mortem a liberis probari, ut Sui sint. Apud GRA-

in potestate ejus futuri essent, & filius, qui ex prima secundaque mancipatione post mortem patris manumittitur. *m*) GAJUS in *Collat. Leg. Mosaic. & Rom.* Tit. XVI. pr. PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit. IIX. §. 7.

VII. Inter Suos, post filios, filias, veniunt nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, ac deinde masculino sexu post filium *n*) descendentes. PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit. IIX. §. 8. ULPIANUS l. 1. §. 4. & 6. D. de *Suis & legit.*

IIX. Sui sunt & postumi, qui, si vivo parente nati essent, in potestate ejus futuri forent. GAJUS in *Collat. Leg. Rom. & Mosaic.* Tit. ult. ULPIANUS Tit. XXVI. §. 3. PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit. IIX. §. 7.

IX. In Suis non interest naturales liberi, an adopti-

VINAM Lib. III. *Orig. Juris Civ.* s. 19. ubi legem Aeliam Sentiam exponit, frustra quavis hoc caput, forte quod CUJACIO suo non satis de eo constiterit.

m) Notum est in vulgus, filios ter mancipatos, & totidem vicibus manumissos exivisse ex patria potestate. Bis mancipatus atque iterum vivente patre manumissus, quin Suus sit, dubitandum non est, quod ipso jure revertatur in potestatem. De manumisso post mortem patris loquitur GAJUS, quem patre defuncto suum non fieri, juris ratio non patitur, Male in GAJI libris vulgo: *Ex prima secundaque Emancipatione.* Reclius apud PAULUM: *Ex primo secundoque mancipio.*

n) RITTERSHUSIUS mavult per filium; male prorsus. Non sufficit sexus esse masculini & per filium descendere, sed descendant oportet sexu masculino post filium, ita ut ex Neptre, filii filia, natus pronepos excludatur. Et ita etiam GAJUS scripsisse videtur, in *Collat. Leg. Rom. & Mosaic.* *Nepos neptisve ex filio, pronepos proneptisve ex nepote ex filio nato, ut jam visum ALEANDRO, OISELIO, & SCHULTINGIO.*

optivi. GAJUS in *Coll. Legum Rom. & Mosaic.* Tit. ult. ULPIANUS l. 1. §. 2. D. *de Suis & legit.*

X. Sua quoque heres est uxor, quæ in manum convenerat viri, quia filiæ loco est; o) item nurus, quæ in filii manu est, nam & hæc neptis loco est. GAJUS in *Coll. Legum Rom. & Mosaic.* Tit. ult.

XI. Suis heres est etiam reversus ab hostibus, ob jus postliminii, sive reversus sit, vivo patre, sive eo mortuo. ULPIANUS Tit. XXVI. §. 3. PAULUS *Recept. Sent.* l. IV. Tit. lxx. §. 7. & 24.

XII. Sui sunt, qui in Insulam deportati, p) aut servi pœnæ effecti q) per omnia in integrum Principis indulgentia restituti sunt. PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit. lxx. §. 24.

XIII. Sui sunt, nepotes, quorum pater apud hostes decesit, PAULUS l. 9. §. 2. D. *de lib. & post.* quamvis illorum pater in sui patris potestate esse nunquam cepit, quod patre suo in potestate adhuc constituto ab hostibus captus sit, ULPIANUS l. 1. §. 5. D. *de Suis & legit.*

XIV. Alia visio est apud eundem §. 7. Ejus, qui in potestate sui patris esse non desit, nec cepit in potestate esse ejus, cui filius suus est Suis heres.

A 3

XV.

o) Egregie SERVILIUS ad l. Georg. coemtionem atque in manu conventionem se habent nuptiarum, cum uxor in filie locum, maritus in patris veniebat, ut si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis justum alteri faceret. Et est verum ad istum GAJII locum, & PERIZONIUM de *Leg. Voconia* p. m. 98.

p) §. 2. J. de *Cap. Dem.*

q) Atrocitate sententiæ. §. 1. J. de *Cap. Dem.*

XV. Denique Suus heres esse potest, quem pater tempore morientis avi præcedit, exheredatam nempe, quo defuncto heres scriptus delatam hereditatem repudiat. ULPIANUS d. l. i. §. 8. Idem dicitur, si filius sub conditione institutus hac non impleta decedit. Eo enim tempore Suus heres constituendus, quando certum est, aliquem intestatum decessisse ex doctrina PAULI *Recept. Sent.* L. IV. Tit. II. §. 11.

XVI. Non sunt Sui capite minuti magna & minore i. e. omni capitis deminutione. POMPONIUS l. II. D. de Suis & legit. ULPIANUS l. i. §. 4. eodem, & in *fragm.* Tit. XXVII. §. 5.

XVII. Nec ex filio exheredato & ante aditam hereditatem defuncto nepotes. PAULUS l. 9. §. 2. D. de lib. & post.

XVIII. Nec ex filio redempto, sed qui ante lutionem decessit nepotes. ULPIANUS l. i. §. 4. D. de Suis & leg.

XIX. Nec ex emancipato filio nepos. PAULUS *Rec. Sent.* Lib. IV. Tit. II. §. 12.

XX. Nec post mortem avi conceptus Nepos, exheredati filius, hoc mortuo, deficiente conditione heredis scripti. JULIANUS l. 6. D. de Suis & legit.

XXI. Nec ex filia nepotes atque deinceps: sunt enim in avi, proavi materni potestate. PAULUS *Recept. Sent.* lib. IV. Tit. II. §. 10.

XXII. Nec filius matri. GAJUS l. 13. D. de Suis & legit. ULPIANUS Tit. XXVI. §. 7.

XXIII.

XXIII. Nec ex servitute privata manumissus
§. 6. J. de Cap. Dem.

XXIV. Nec virgo Vestalis, quod ejus captio,
& vi quasi abductio pro emancipatione esset. GEL-
LIUS Noct. Attic. lib. 1. cap. 12.

XXV. Nec filius, cujus pater post mortem
perduellionis damnatus. ULPIANUS l. 1. §. 3. D.
de Suis & legit. r)

XXVI. Ratio succedendi in Suis hæc fuit, ut
pariter ad hereditatem vocarentur, nec, qui gradu
propior, ulteriorem excluderet. Unde conveniens
fuit, non in capita, sed in stirpes hereditates dividi,
etiãmsi ex duobus filiis nepotes extent, ex altero fi-
lio unus forte vel duo, ex altero tres aut quatuor.
GAJUS in Coll. Leg. Mosaic. & Rom. Tit. ult. UL-
PIANUS Tit. XXVI. §. 2. PAULUS L. IV. Tit.
II. §. 9.

SECTIO II. AGNATI

I. Si nemo Suus heres existat *Agnatus proximus s)*
familiam habeto. II.

- r) Lege enim Julia heres esse definit l. ult. D. ad L. Julianam Maj. ita ut sepulcrorum jura, etiam amittat, quod in aliis hereditatibus, qua indignis auferuntur, est secus l. 33. D. de relig. & sumi. fun. v. ACOSTA ad §. 5. J. de success. qua ab intest. def.
- s) Sed an filius patri agnatus proximus est? ita videtur scripsisse POMPO-
NIUS in l. 12. D. de Suis & Legit. Negatur tamen ALCIATUS
III. Parerg. XXV. & HOTTOMANNUS. l. Obserb. XVII. reprehensi a
ROBERTO I. Recept. II. & CUJACIO XIV. Obserb. XI. Arx hujus sen-
tentia est Lex PAPINIANI 7. D. Unde liberi: Si non suus heres est, (ex-

heredatus filius, mortuo patre, & hereditate inde ab scripto herede omiffa, inquit JCrus) *quo jure heres erit, qui sine dubio non est agnatus?* Ad hæc acute CUJACIUS: *non negari suum esse Agnatum, sed non suum.* Sed videtur PAPINIANUS manifeste distinguere diversa succedentium jura. Qui in potestate morientis fuit, nec nunc, cum constat eundem morientem decessisse intestatum, habet alium, qui ei obfistat, & tamen ex diversæ sententiæ auctoribus, contra quos PAPINIANUS isto loco disputat, heres Suus non est, quo alio jure heres erit, an jure agnati? Talis non est Avo nepos, in potestate avi, dum viveret, & cum hic moreretur, in potestate patris sui constitutus, neque enim unquam agnatus est in ejus, cui succedit, potestate. Et cui commodo, Suum heredem dicere agnatum? Ille ipso jure heres est, huic hereditas defertur. An hæc in una persona morari possunt? Rectius itaque dixit HOTTOMANNUS: generali Agnatorum nomine posse intelligi filium; (& ita accipienda L. POMPONII, nisi malis TRIBONIANI infelicem manum arguere) ubi subtrahitur legum verba & ordinem in deferendis intestatorum hereditatibus sequimur, liberis suorum nomen tribui, reliquis agnatorum. Opponit CUJACIUS l. 6. §. 2. D. de Carbon. Edict. sed in ea nihil aliud dicitur, quam Suos beneficio Prætorio etiam ex inferioribus partibus posse petere bonorum possessionem ab intestato, *qua legitimi* vocantur. Quoniam sui sunt, habent bonorum Possessionem, unde legitimi, at enim vero & unde cognati. Verba legis ultimæ §. 3. D. de grad. & aff. (male enim in Editione operum CUJACII Fabrottina l. 1. C. de grad. allegatur,) *proximiores ex agnatis Sui* dicuntur, de relatione agnatorum inter se sunt exaudienda: neque enim quisquam negaverit, Suos patri, agnatos esse agnatis; in successione autem Patris inter agnatos esse proximiores, unde patris respectu peculiari nomine Sui dicuntur. Nec l. ult. §. 2. C. de Codic. nos admodum moratur: Parentes & liberi *agnationis vinculis alligati* sunt ascendentes & descendentes in modum agnatorum, id est, masculino sexu conjuncti, opponunturque *cognationis nexu conscriptis* id est, foemina intercedente conjunctis. Juvabimus adversam partem: Agnatio est Sui heredis: ergo & Suus heres erit agnatus. Sed Suus heres aut agnascitur fratribus ante testamentum conditum natis, & deinde institutis, aut patri, sed qua testator est, ut scripturam ejus rumpat, neque enim est, ut agnasci dicantur ante testamentum conditum nati qui tamen Sui heredes sunt. Quid de patre dicemus, an hic agnatus filio? Vix est ut admitti possit. Nascitur filius patri, non pater filio. Sed agnatus agnato vicissim est agnatus, quod argumento esse potest, in eadem quæstione, quam modo tractavimus. Attamen Decemviri Patris, ut proximioris agnatis, rationem habere debebant. Minime vero. De parte

II. *Agnati* sunt legitima cognatione conjuncti. *Legitima* autem *cognatio* hæc est, quæ per virilis sexus personas conjungitur. GAIUS in *Coll. Leg. Rom. & Moisæic. Tit. ult.*

III. Inter agnatos primi sunt *Consanguinei* & Frater & Soror, qui in ejusdem potestate patris fuerunt,

B

runt,

patrefamilias enim intestato mortuo iisdem sermo, qui alios successores non habet, quam Suos aut agnatos. Quæ itaque in filiorumfamilias bonis successio? Nulla. Bona eorum, non quasi hereditas, sed quasi peculium patri deferuntur, quod etiam de castrensi peculio in militibus filiisfamilias intestato mortuis affirmat ULPIANUS in l. 2. D. de *Castr. Pecul.* Quid si pater filium emancipaverat? contracta id faciendum erat fiducia, quæ tamen successio non est ingenuæ species, sed libertinæ quadam imago. De matre infra disseremus.

*) Quid sibi voluit illa PAULI *Rec. Sent. L. IV. Tit. IIX. §. 3.* *Intestatorum hereditas defertur lege duodecim Tabularum primum suis heredibus, deinde agnatis, & aliquando quoque gentilibus deferretur. Sane consanguineis lex non apprehenderat: At interpretatione Prudentum primum inter agnatos locum acceperunt.* Viri docti & post eos Cl. SCHULTINGIUS legunt: *Sane consanguineos lex non apprehenderat; ita est; Consanguinei in XII. sub agnatis proximis continentur, non apprehendit eos lex, id est, non in specie expressit, ut hæc vox etiam in l. 10. D. de lib. & post. accipitur.* Sed ea, quæ sequuntur, nendum capio: *Interpretatione Prudentum eos lege non apprehensos primum locum inter agnatos occupare.* An itaque non erant occupaverit, si interpretatio Prudentum non fuisset? Desissentne proximi esse agnati, si eis *¶* Cti non subvenissent? malim adeo ista ita legere & explicare: sed *consanguineas lex, dum agnatos proximis vocabat, non apprehenderat, non expresserat, lex enim XII. Tab. teste PAULO §. 22. nulla discretione sexus agnatos admisit, adeoque & consanguineas, saltim ut agnatas, ubi jure civili Voconia ratione effectum, ut femine ad hereditates legitimas non admitterentur: Tum quod ad consanguineas attinet, interpretatione prudentum placuit, primum inter agnatos, atque adeo cum consanguineis fratribus, eas accipere locum.*

runt, & si ex diversis matribus nati sunt. ULPIANVS in *Coll. Leg. Rom. & Mosaic.* Tit. XVI. § 6.

IV. Consanguineos facit (u) & adoptio, & arrogatio, & causæ probatio, (vv) & in manu conventio (x) ULPIANUS l. 1. §. 11. D. *de Suis & leg.* PAULUS in *Coll. Leg. Mosaic. & Rom.* Tit. ult. §. 6.

V. Consanguinei sunt postumi, reversi ab hostibus, a Principe restituti, & quæ non sunt patri sui heredes, ut exheredati, & patre deportato nati. ULPIANUS, l. 1. §. 10. D. *de Suis & legit.* PAULVS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit. IIX. §. 15. & 24.

VI. Post consanguineos admittuntur *Agnati*, si consanguinei non sunt. Patruus fratris filio, & invicem is illi agnatus est. Eodem numero sunt fratres patruales inter se, id est, duobus fratribus progenerati, quos plerique etiam consobrinos vocant. Quæ ratione scilicet etiam ad plures gradus agnationis pervenire poterimus. GAJUS in *Collat. Leg. Mosaic. & Rom.* Tit. ult. ULPIANUS l. 2. pr. & §. 1 D. *de Suis & legit.*

VII. Fœminæ ad hereditates legitimas ultra consanguineas successiones non admittuntur, idque jure civili Voconiana ratione (y) videtur esse effectum Fœminarum perinde hereditates agnationis jure rede-

unt

- u) Sanguis est cognatio naturalis, consanguinitas est agnationis species, id est, fraternitas. CUIJACIUS X. *Observ.* XXVI.
- w) Ex Lege Aelia Sentia de matrimonio per errorem contracto instituta. vid. *supr.* Sect. 1. §. 6.
- x) Consanguinea itaque est & mater & noverca, quæ per in manu conventionem apud patrem nostrum jus filiz consecuta est. GAJUS in *Coll. Legum Mosaic. & Rom.* Tit. ult.

unt atque masculorum : nostræ vero hereditates ad
fœminas ultra confanguinearum gradum non perti-
nent. GAJUS in *Collat. Legum Mosaic. & Rom. Tit.*
ult. PAULUS *Recept. Sent.* lib. IV. Tit. IIX. §. 22.

VIII. Proximum Agnatum non eum dicimus, qui
tunc fuit, cum moreretur paterfamilias, sed eum, qui
tunc fuit, cum intestatum decessisse certum est. Re-
linquit quis fratrem & patruum ; pendet con-
ditio heredis scripti ; frater decedit ; conditio deficit ;
patruus, ut proximus agnatus, legitimam hereditatem
adit GAJUS in *Coll. L. Rom. & Mosaic.* ULPIANUS
l. 2. §. 6. & 5. D. *de Suis & legit.*

IX. Proximus est agnatus & qui solus est ; Et
plures proximi esse possunt, ab eodem gradu venien-
tes, qui iterum vel ceteros antecedunt, vel soli sunt.
POMPONIUS l. 162. D. *de V. S.* ULPIANUS l. 2. §. 4.
D. *de Suis & legit.* PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit.
IIX. §. 17.

X. Proximus agnatus adeo excludit remotio-
rem ; frater fratris filium, patruus patruï filium : unde
jamdudum placuit, non in stirpes, sed in capita divi-
dendam esse hereditatem, ut puta, duos fratres habui,
vel duos patruos, unus ex his unum filium, alius du-
os reliquit hereditas mea in tres partes dividetur, GA-
JUS in *Coll. L. Mos. & Rom. Tit.* ult. ULPIANUS
l. 2. §. 2. D. *de Suis & legit.* & in *Fragmentis Tit. XXVI.*
§. f.

XI. Proximus agnatus, qui adiit hereditatem, si
quidam ex pluribus heredibus legitimis omiserit, ad
B 2 crescen-

ascendendi jure gaudet, quod etiam ad ejus, qui adiit, heredes pertinet, PAVLVS *Recept. Sent.* Tit. II. §. 26. MARCIANVS l. 9. D. *de Suis & legit.*

XII. In hereditate legitima *Successioni* locus non est. Et ideo, fratre decedente, antequam adeat, aut repudiet hereditatem, fratris filius admitti non potest, quia omnis successio proximiori defertur. GAJVS *Coll. L. Rom. & Mosaic.* ULPIANVS l. 2. pr. D. *de Suis & legit.* & in *fragmentis* Tit. XXVI. §. 5. PAVLVS *Recept. Sent.* lib. IV. Tit. II. §. 21.

XIII. Legitimas hereditates, quæ ex XII. Tabb. descendunt, capitis deminutione perire, manifesti juris est. POMPONIVS l. II. D. *de Suis & legitimis.* ULPIANVS in *fragm.* Tit. XXVII. §. ult.

SECTIO III. GENTILES

I. Si Agnatus nec extabat, *Gentilis* familiam nanciscitur z) GAJVS & ULPIANVS in *Collat. L. Mosaic. & Rom.* §. 2. & 4.

II. *Gentiles* sunt diversæ familiæ sed ejusdem gentis homines. Ita Scipiones omnes inter se fuere agnati, Cornelii omnes Scipionum gentiles. Fuere enim
Cor-

z) In una gente plures erant familiae, in una familia plures domus, in quarum unaquaque paterfamilias habebat dominium. Familia itaque primum erat eorum, qui in domo, id est, *Suorum*, si non erant, ex Domino transibat in familiam, ad *Agnatos*, si nec agnati, in gentem ad *Gentiles*. Sacrorum eadem erat ratio, quæ vel paterna, vel familiaria, vel gentilicia. GOTHOFREDVS in *Notis*.

Corneliæ gentis variæ familiæ, ut Lentulorum, Sullarum, Cinnarum, Cossorum, Dolabellarum *aa)*

CAPUT II.
EX SENATVS CONSVLTVS.

SECTIO I.

EX SENATVSCONSVLTO TERTVLLIANO.

I. Postquam Divus Claudius matri ad solatium liberorum amissorum indulgentia personali legitimam detulerat hereditatem, Scto Tertylliano D. Hadriani temporibus confecto plenissime de tristi *bb)* successione matri cautum est, ut ingenua trium liberorum jus habens ad bona filiorum filiarumve admittatur intestato mortuorum. IMPERATOR §. 1. 2. J. h.

II. Mater Tertyllianum commodum habet etiam famosa. VLPPIANVS I. 2. §. 4. D. h. etiam in aliena potestate constituta. PAVLVS *cc)* I. 6. pr. D. h.

B 3

aa) HEINECCIUS *Synagm. Antiqu. Rom.* lib. III. Tit. II. §. 2.

bb) Ob turbatum mortalitatis ordinem, ut eleganter PAPINIUS in l. 19 pr. D. de inoff. test.

cc) Hæreo in inscriptione L. 6. quæ est, ex PAVLI *Libro singulari ad Sctum Orphicianum* L. 5. est EIVSDEM *libro singulari ad Sctum Tertyllianum*. L. 7. est EIVSDEM *libro singulari ad Sctum Tertyllianum & Orphicianum*. An itaque ejusmodi *μονοβιβλιον* tria fuere, an forte unum? ita, fateor, in editione TAVRELLORUM Florentina quoque legitur, ut adeo profus nesciam, quid sibi velit, quod in Editione LVDOVICI RVSSARDI Plantiniana 1567. post Torelli præfationem traditur: *Hic notis III inclusum nunc primum additum esse, ultra quam in Pandectis Floren-*

h. modo ter peperit vivos & pleni temporis. Ampliatis membris nati profunt. Monstra, abortus vel abactus venter, non profunt. PAVLVS *Rec. Sent. L. IV. Tit IX.*

III. Mater jus liberorum habet, quæ tres liberos aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit. Habet, cui supersunt, habuit, quæ amisit, neque habet, neque habuit, quæ beneficio Principis jus liberorum consecuta est. PAVLVS *Rec. Sent. Lib. IV. Tit. IX. §. 9.*

IV. —Mater talis succedit ex SCto, etiam vulgo quæstis, JULIANVS & VLPIANVS L. 2. §. 1. D. h. etiam filiis in servitute conceptis à manumissa editis, in servitute pœnæ conceptis a restituta editis, in libertate conceptis in servitute pœnæ editis se ipsa
 mox

Florentinis, aut aliis, hactenus legebatur. Sunt illæ Rubricæ incluse istis notis, & tamen apud Torrellam leguntur. RUTILIVS, BERTRANDVS, GROTIIVS indicem veterem sequuntur, in quo nihil de libro singulari ad SCtum Tertullianum & Orphicianum. Quid si dicas, in indice illo vetere, in quo, teste LAVRENTIO THEODORO GRONOVIO in Emendationibus Pandectarum τὰ ἀρχαῖα Ad municipalem, duo PAVLI libri singulares in uno versu leguntur, μὲν βιβλίον ad SCtum Orphicianum & Tertullianum duos versus occupasse. Sane in L. 6. quæ est ex libro singulari ad SCtum Orphicianum Caput primum eo pertinet. Principium legis ad Tertullianum. Et in Digestis uno Titulo utrumque SCtum traditur. Vah! inquit, hoc forte fortuna ita placuit TRIBONIANO aut Socio, & quam facile illorum, quæ L. 6. pr. habentur, mentio fieri potuit in libro singulari ad SCtum Orphicianum. Non contendam; sed notam oscitantæ non effugiet, quisque ille fuerit ex ICTIS JUSTINIANEIS, qui hic PAVLO operam navavit, quod scripserit: Filii matrem ex hoc SCto ad hereditatem admitti, & addiderit Legis Rubricam: Ad SCtum Orphicianum; sub Titulo ancipiti: Ad SCtum Tertullianum & Orphicianum.

mox restituta, in libertate conceptis in servitute privata editis se mox manumissa, imo in servitute conceptis & editis, si ipsa in Fideicommissaria libertate moram passa, vel apud hostem peperit, & cum iis rediit, vel redempta edidit, ULPIANUS d. l. §. 3. impuberi quoque, cui pater secundas tabulas fecit, omisa a substituto hereditate, & impuberi arrogato intra illam ætatem, in qua testari nequit, defuncto, ULPIANVS d. l. §. 5 Non autem militi filiofamilias intestato mortuo in peculio castrensi. Ratio POMPO-
NII in l. 10. h. elegans est: *magis iudicio militum hoc beneficium concessum, non ut omnino quasi Patresfamilias in ea resint.* Nec filiis filiabusque qui libertini effecti, quod eorum mater esse desit. JVLIANVS in l. 2. §. 1. D. h.

V. Matrem excludunt liberi defuncti, Sui, non Sui, v. g. Filix mortux filius, filia, tam virilis sexus, quam foeminini, tam naturales, quam adoptivi. VLPIANVS d. l. 2. §. 6. PAVLVS l. 5. pr. & §. 1. D. eod. si adierunt hereditatem, non æque si omiserunt. d. l. 2. §. 14 qui apud hostes est, aut nasci speratur, dum res in pendentis est, VLPIANVS d. l. 2. §. 7. POMPO-
NIVS l. 10. §. 1. D. eod. tum & pater naturalis, vel patriæ potestatis, vel manumissoris jure, VLPIANVS l. 2. §. 45. D. h. & frater consanguineus, VLPIANVS in *fragm.* Tit. 26. §. ult. & avus manumissor eo casu, quo pater cum matre superstes est. PAVLVS l. 5. §. 2. D. h.

VI. Si Soror est Consanguinea, ad utrasque pertinere jubetur hereditas, VLPIANVS *fragm.* d. l. fra-
ter

ter & soror consanguinei adhuc matrem excludunt. IMPERATOR §. 3. J. ad *SCt. Tertull.* Quæro si frater omittat, an admittitur mater? non memini, apud Veteres id esse tractatum, sed magis est, ut admittendam credamus.

VII. Non obijciuntur matri Sui, si se abstinerunt, VLPIANVS l. 2. §. 8. h. Nec emancipatus, bonorum possessione accepta, si per in integrum restitutionem se iterum abstinuit d. l. 2. §. 10. neque venter missus in possessionem, quam tamen non natus non accepit, nec furiosus, qui prius decessit, quam mentis compos factus petere potuit possessionem, §. 11. nec is, qui Carbonianam possessionem accepit, post tempora elapsa, aut si intra illa tempora decessit. §. 12. non pater, qui in adoptiva familia §. 15. 17. MODESTINVS l. 3. D. h. non avus, neque proavus, licet contracta fiducia, VLPIANVS l. 2. §. 15.

VIII. Mater aliquando succedit cum consanguinea, excluso patre adoptato, aut emancipato l. 2. §. 15. aliquando ut consanguinea, aut si consanguinea esse desit, patre omittente, ex *SCto* §. 19.

IX. Hoc commune habet hæc successio cum alijs ex lege nova, vel *SCto* oriundis, quod capitis deminutio salvo statu contingens non noceat. POM-PONIUS in l. 11. D. de *Suis & Legit.* VLPIANVS l. 1. §. 8. D. h.

X. Matre hereditatem ex *SCto* non adeunte, jus antiquum obtinet, ULPIANUS d. l. 2. §. 20. & defertur hereditas ei, qui proximus est agnatus, eo
tem-

tempore, quo hereditatem ex SCto delatam mater repudiavit d. l. 2. §. 22.

SECTIO II.
EX SENATUSCONSULTO ORPHITIANO
SCTI FRAGMENTA.

Sacratissimi Principis nostri Oratione cautum est:
dd) UT MATRIS INTESTATAE HEREDITAS AD LIBEROS
TAMETSI IN ALIENA POTESTATE ERVNT PERTINEAT
ee) SI NEMO FILIORVM EORVMVE QVIBVS SIMVL LEGI-
TIMA HEREDITAS DEFERTVR VOLET AD SE EAM PERTI-
NERE IVS ANTIQVVM ESTO ff) QVAE IVDICATA TRANSACTA
FINITAVE SVNT RATA MANEANT.

I. Admittuntur adeo ad matris hereditatem fili-
us, filia, cives Romani. PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV.
Tit. X. §. 2. etiam ex diversis matrimoniis nati, MO-
C DE

dd) Hac verba sunt GAJI ex libro singulari ad SCtum Orphitianum in l. 9.
D. h. servata, & mea sententia non alia quam quae in ipso SCto
Orphiciano extiterunt. *Orphito & Ruffo Coss. latum*, inquit IMPERA-
TOR pr. J. h. D. Marci temporibus; ea autem tempestate GAJUM no-
strum floruisse, vel ex l. 56. D. de leg. 2. & ex l. 1. §. 2. D. de his qui
sunt sui & al. jur. intelligi potest. Jam vero satis constat, SCtum & Ora-
tionem Principis idem significare, uti vel ex l. 8. D. de transact. videre est,
ubi D. Marci oratione in Senatu recitata effectum dicitur, quod in le-
ge 23. §. item si 2. D. de condit. indeb. SCto tribuitur. Rem conficit UL-
PIANUS in fragm. Tit. XXVI. §. 7. Imperatorum, inquit, Antonini &
Commodi oratione in Senatu recitata id altum est, ut sine in manu con-
ventionis, matrum legitime hereditates ad filios pertineant, exclusis consan-
guineis & reliquis agnatis. Vide sis CUIACIUM ad Tit. C. de Bon. Mat.
se) ULPIANUS l. 1. §. 9. D. h.
ff) Idem d. l. 1. §. 12. ubi vide elegantem JCTI interpretationem.

DESTINVS l. 4. D. h. etiam vulgo quaesiti, ULPIANUS l. 1. §. 2. D. h. PAULUS *Rec. Sent.* Lib. IV. Tit. X. §. 1. etiam nati post moram fidei commissaria libertati matris factam, etiam inservitute concepti, in libertate nati: ULPIANUS l. 1. §. 3. h. etiam matris ex seculo ventre editus d. l. 1. §. 5. etiam filius, qui operas suas, ut cum bestiis pugnaret, locavit, quive rei capitalis damnatus neque restitutus est, & talis hominis filius non ex SCto sed ex humana interpretatione d. l. 1. §. 6. omnes liberi, uno filio herede scripto, sub conditione, quæ postea defecit, d. l. 1. §. 7. etiam ille, qui dixit, se nolle adire hereditatem si ante eum, quam consanguineus aut agnatus adit, poeniteat, PAULUS l. 6. §. 1. D. h.

II. Non admittitur Latinus, PAULUS *Rec. Sent.* Lib. IV. Tit. X. §. 3. Nec tempore mortis maris civis Romanus, sed ante aditam hereditatem in servitute deductus; nec si postea liber factus, nisi forte beneficio Principis restitutus. ULPIANUS l. 1. §. 4. D. h. Nec filia ancilla vel liberta ex SCto Claudio effe-
ta. PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit. VIII. §. 2.

III Filius hanc hereditatem non nisi ad eundem acquirit. PAULUS *Recept. Sent.* Lib. IV. Tit. IX. §. 4. Neque tamen capitis deminutione minore eandem amittit, ULPIANUS l. 1. §. 8. D. h. Ad crescendi jure utitur, d. l. 1. §. 9. in integrum restitutus contra aditionem jus antiquum introducit, d. l. 1. §. 10. quo hereditas deferretur proximo, qui talis est eo tempore, quo filius repudiat, d. l. 1. §. 11.

CA-

CAPIT. III.
EX SACRIS CONSTITUTIONIBUS
SECTIO I.

PRINCIPVM NON CHRISTIANORVM

I. Hi vetera jura firmarunt plerumque. Ita quoad Suorum succesionem attinet, DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS IMPP. rescripserunt suos heredes esse & postumos, l. 4. C. de *Suis & Legit. Lib.* & adoptivos l. 5. eod. uti eosdem jure repræsentandi l. 3. eod. succedi ex stirpibus l. 2. eod. In *Suis*, ut *Sui* sint, non postulari mortis scientiam l. 8. eod. Quæsitum est, num ex libera conceptus & seruo, ut legitimus & *Suis* defendi possit, si pater manumissus, & natalibus restitutus, decurionis honorem adeptus est. *Iidem* IMPP. negarunt l. 6. eod.

II. Matrem Tertylliano Commodo non uti, si tutores impuberibus filiis non petierit, rescripsit D. SEVERVS in l. 2. §. 2. D. *qui petant Tutor.* l. 2. §. 23. *ad Scum Teryll.* & *Orphic.* nec uti in filio vel filia libertinis effectis, quod scripserat JVLIANVS, rescripsit ANTONINVS IMP. l. 2. §. 2. D. *ad Sc. Teryll.* & *Orphic.* matrem liberis etiam infantibus esse heredem, explicant DIOCLETIANUS & MAXIMIANVS l. 1. C. *ad Scum Teryll.* præferri tamen patrem manumissorem *IIDEM* l. 2. eod.

III. Quæsitum est, an apud hostes conceptus & editus, sed cum matre rediens, ex *Scro Orphiciano*, ut vulgo quæsitus, ad hereditatem admittendus sit, & placuit SEVERO & ANTONINO IMPP. in *Epi.*

stola ad *Ovinium Tertullum Praesidem Provinciae Myse inferioris*. gg.) Filiam omnibus praeferrī, etiam matri & consanguineae, iterum constituit ALEXANDER in l. 1. C. ad *Scutum Orphic.* quod absque omni bonorum possessione ipso ScTo fieri tradunt DIOCLETIANUS & MAXIMIANVS l. 3. C. eod. scissa hereditate materna non pro numero superstitem mortis matris tempore, sed succedentium ex eorundem IMPP. rescripto l. 2. C. eod.

IV. Nulla in legitimis heredibus est, centum dierum praefinitio: SEVERUS & ANTONINUS l. 1. C. de *Suis*. & *leg. lib. hb)* fratrum & sororum in legitima hereditate fratris vel sororis eadem est conditio. ALEXANDER l. 1. C. de *legit. hered. ii)* Excluditque Soror consanguinea fratris filios. DECIUS l. 3. C. eod. DIOCLETIANI & MAXIMIANI leges sunt de fratre post suos l. 6. C. eod. de sorore ante aviam vel avum maternum l. 9. de patruo praeter matrem l. 7. de successore nepotis patris sui l. 4. de Agnatis generatim l. 5. de agnatis secundum legis Corneliae beneficium hereditatem defuncti apud hostes adeuntibus l. 8. eod. Singularis species est, legis eorundem IMPP. 5. C. *Communia de successioneibus* quam infra *kk)* ex CVJACIO repetam. Sect. II.

gg) Egregie haec eruit CVJACIUS ad hunc Titulum ex l. 1. tit. 3. D. ad *ScT.* *Tertyll.* l. 9. D. de *capit. & post. revers.* & ex l. 1. C. eod.

hb) Pertinet haec lex ad eas, quae suo non leguntur loco.

ii) Ubi Cassium & Hermionam non de suo sed de patris defuncti iure quaerere, noto, praesente ACCURSIO & CUIACIO.

kk) Nempe ex XII. *Observ.* 9. & Comment. ad hanc legem, si prius monuero,

SECTIO II.
PRINCIPVM CHRISTIANORVM.

I. Principes Christiani, siue quod esset veterum legum civilium ethnicæque prudentiæ minor apud eos auctoritas, siue quod statuendi sibi sumerent licentiam, magis quod in nova Roma ipsis videbatur æquum, quam quod in veteri Roma a longo tempore erat observatum, multa innovarunt.

II. Nepotes ex filia inter suos non connumerabantur, & ab agnatis etiam excludebantur, quod constaret, ut *ARCADIUS* l. 5. C. *Theod. de legit. heredit.* loquitur, *alienæ familiæ esse procreatos.* *IMPP. VALENTINIANVS THEODOSIVS & ARCADIUS* in l. 4. C. *Theod. de leg. hered.* (quæ in *Justiniano Codice* mutilata legitur l. 9. de *Suis & legit.*) sanxerunt, ut haberent nepotes ex filia partis, quam mater ex

C 3

patris,

nere, placere quod in Notis *LEUVVIANIS* reperio, legendum esse *nilquam, pronunquam.* Amita est *Justina*, cui *Filii* succedere, nihil habet *Justina*, quod petat. Sed hi *amitæ filii* intestato defuncti sunt, *amita* vero reliquit privignos, eosdemque filios defunctorum consanguineos, hoc est: *Titius*, qui duxerat *Justinæ* *amitam*, ex alia uxore habuerat liberos, & ex *Justinæ* *amita* alios genuerat liberos, de quorum successione quarit *Justina*, & repellitur equidem & excluditur ab *amitæ* privignis, sed qui filiorum *amitæ* defunctorum sunt consanguinei, hoc est, eodem patre nati; Sed *ingas*, *Titio* priore *amitæ* marito mortuo, relictis liberis, *amitam* ducere *Gajum*, cui ex priore uxore sint liberi, ex *amitæ* *Justinæ*, quam duxit, nullis procreatis, hi *amitæ* sunt privigni, *amitæ* liberorum nec agnati, nec cognati, nempe alio patre, alia matre nati, quibus adeo neglectis *Justina* *amitinis* suis succedit. Confer etiam *NOTTOMANVM* VI. *Obser.* c. 9. qui alia ratione speciem d. l. 5, effingi posse docet.

patris sui bonis habitura erat, si vixisset, partes duas tertias, ita, ut reliqua tertia avunculis & materteris accresceret. Idem in eadem lege Nepotes ex filia unica cum defuncti agnatis concurrere iusserunt, ut Nepotes in dodrantem succedant, Agnati in Falcidiam; idem in aviæ paternæ & maternæ hereditate obtinere voluerunt. Hanc legem postea ARCADIVS & HONORIVS AA. 1. 5. C. *Theod. de legit. heredit.* firmarunt, injuncta simul hereditatis maternæ collatione.

III. At enim veroingas: In aviarum successione & quidem maternæ matrem ab avo materno, in paternæ vero patrem ab avo paterno esse emancipatum, an emancipati filius aviæ paternæ; emancipatæ filius aviæ maternæ hereditatem recte peter, & dicendum est, recte petere, quod filiorum status spectatur, quotiens de ejus bonis, qui potestatem familiæ habere potuit, tractatur, ut constituere IMPP. HONORIVS & THEODOSIVS l. 6. C. *Theod. de leg. heredit. quæ est Justiniana 10. de Suis & legit. liber. II*)

IV.

U) Vide omnino CVJACIVM & GOTHOFREDVM ad has utriusque Codicis leges. Illæspeciem tradidit successionis in bonis avi materni, sed per errorem id se fecisse altera die auditoribus suis indicavit. Dicimus, quod res est, magnum virum hic aliquid humani passum, & in lege, quam etiam GOTHOFREDVS appellat obscurissimam, vacillasse. Nam & in repetita illius legis prælectione non satis sibi constat. Quid enim emancipatio matris, facit ad successionem nati, in bonis aviæ paternæ? Gratis offeritur legem loqui de aviarum maternarum successione, cum ipse CVJACIVS dicat, natos jure civili etiam succedere aviæ paternæ, & quidem, ut GOTHOFREDVS recte dicit: etiam post emancipatæ.

IV. Hic locus postulat, ut tandem, dispiciamus, quæ patris in hac successione causa fuerint jura, & qua via ad eum ordinem, qui in Justinianeis legibus traditur, devenit. Filius decedebat, relicto patre, vel in potestate ejusdem, vel emancipatus. Si in potestate omnia filii bona pater, etiam castrensia, occupabat jure peculii; si emancipatus fuerat, jure civili ut manumissor, jure prætorio inter decem personas vocabatur. Uno eodemque jure omnia filii bona censentur, castrensia, quasi castrensia, profectitia, adventitia. Primus Imperatorum CONSTANTINVS M. in l. 1. 2. 3. C. *Theod. de Maternis Bonis* voluit, ut servata filio maternorum bonorum, ex adventitiorum genere, proprietate, pater solum fruendi Pontificium haberet, quod jus firmavit CONSTANTINVS I. 5. C. *Theod. cod.* amplificarunt GRATIANUS VALENTINIANUS & THEODOSIUS AAA. in l. 6. atque iterum ARCADIVS & HONORIVS in l. 7. C. *Theod. cod.* idem in bonis

emancipationem patris, non ex verbis, sed ex ratione legis Belle autem queri poterat, an post emancipationem matris natus succedat avo materno, secundum ea, quæ CUIACIO in præiore legis interpretatione venerunt in mentem, ab eodem iterum rejecta, a GOTHOFREDO vero neglecta. Et potuisse credo; quamvis enim lex *verba et facta* de aviarum successione loquatur, ratio tamen legis me movet: tunc unice in hujus modi hereditatibus filiorum (filiarum) statum aut personam spectari, quotiens de ejus bonis tractatur, qui potestatem familia potuit habere in eo, qui hereditatem petit, id est, in eo uno casu, si emancipatus filius petit successorem avi paterni. Neque avia possunt habere nepotes in potestate, quod feminae sunt, neque avus maternus, quod filia filii in sui patris sunt potestate. Ergo nec in aviis nec in avo materno nec nepotibus patris matrisve emancipatio, sed cum avunculis & materis succedunt, demto patris sui triente, cum Agnatis in Dodrante,

nis materni generis filii familias obvenientibus stantentes. Productum est hoc jus a THEODOSIO & VALENTINIANO in l. 1. C. *Theod. de bonis quæ filiis familias ex matrimonio acquiruntur*, quæ pariter prima est C. *de bonis quæ liberis*, ad lucra nuptialia, & a LEONE & ANTHEMIO in l. 5. C. *de bonis quæ liberis* ad lucra sponsalitia. Jam fingas, filium, cui sunt hujus generis adventitia, a patre emancipari, ubi l. 1. & 2. C. *Theod. de maternis bonis* edocemur, patri tertiam partem custoditæ rei muneris causa a filio offerri. Nunc quæritur, si emancipato filio ejusmodi generis bona deferantur? & in l. 9. THEODOSII & VALENTINIANI C. *Theod. de maternis bonis* cautum, virilis portionis usumfructum patri tribuendum; id est, ut bene VETUS INTERPRES explicat: *de uno mediam, de duobus tertiam, de tribus quartam percipere debere portionem in usufructu*. Jam de filii talis successione videamus. Non ad patrem defuncti pertinent jure peculii, ut olim; adempra enim est patribus bonorum adventitiorum proprietas; sed ad defuncti liberos jure hereditario, servato usufructu avo paterno, THEODOSIVS & VALENTINIANVS l. 3. C. *de bonis quæ liberis*. Post liberos vocabantur fratres *mm*) ex utroque parente conjuncti, & post hos ex uno parente conjuncti, patri defuncti æque servato usufructu, tum pater, non

mm) Non pater, quod ait l. 10. C. *Theod. de maternis bonis* aut neglecta usu hominum, aut posteriorum principum constitutionibus abolita. Fal-litur GOTHOFREDVS, qui ex illa lege 10. patrem cum defuncti fratribus & sororibus pro virili portione successisse censendit.

non avus paternus, si est, cujus interea est usufructus, & patre demum mortuo avus paternus, pleno jure proprietatis, uti hoc erure est, cum ex L. 4. LEONIS & ANTHEMII cum ex l. 3. THEODOSII & VALENTINIANI C. de bonis quæ liberis.

V. Mater jure antiquo non aliter, nisi liberorum suffragio suffulta, succedebat filio, cum sorore ejusdem consanguinea, sola omnes cognatos per beneficium Tertullianum excluderat. Et hic aliud visum est CONSTANTINO M. in l. 1. C. Theod. de legit heredit. qua cautum, ut matri jus liberorum non habenti, quicumque demum fuerint defuncti agnati, tertia deferatur portio, & vicissim patruus, patruus filius, & nepos, agnatione licet minime durante, si cum matre jus liberorum habente concurrant, tertiam pariter portionem accipiant. Idem firmarunt, firmato simul in reliquis jure antiquo, VALENTINIANUS & VALENS AA. in l. 2. C. Theod. de leg. heredit. (nn) mox placuit THEODOSIO & VALENTINIA.

nn) Legi valde vulnerata medicinam adhibuit GOTHOFREDUS, tentabimus, num a nostra etiã manu aliquid medelæ afferri possit. Ita autem eam interpretor: *Quia non solum filius consanguineus, sed etiam per adoptionem questus, nulla capitis deminutione intercedente, ejus (defuncti) matrem excludit, sic idem (ut felicissime restituit GOTHOFREDUS) patitur mater defunctorum, excludi (se hereditate filii defuncti) a fratribus consanguineis existentibus, (nec credat, legis forte Constantini ratione cum fratribus se posse admitti, ut patruus admittuntur cum ipsa) quibus tamen ipsa (mater) præferatur, intercedente capitis deminutione; & proximior gradus inestur (in simul vocandis patruo, vel patruus filio, vel nepote) nam constitutio D. Constantini ad Bassum præfectum urbi emissã Patruus tantummodo jus antiquum (quo a matre jus liberorum habente excluderetur) temperabit, ut si unus patruus seu duo pluresque sint, sive filius, sive eorum usque ad nepotem extiterint, beneficium constitutionis in partem tertiam component. De consanguineis autem fratribus nullam fuisse mentionem, cognovimus evidenter. sic & (vulgo: licet, GOTHOFREDUS: illicet vel quid simile) antiquo jure servato (ut consanguineus non intercedente deminutione excludat matrem) & divalis memorie Constantini constitutione (de admitteudo patruo, patruus filio, nepote) comprobata, prospectum esse videatur a nostra clementia, ut in hujusmodi liti- bus, quis (vulgo: qui) frater consanguineus debet excludi secundum jus an-*

NIANO in l. 7. C. *Theod. de leg. hered.* matrem sive jus liberorum habeat sive non habeat, succedere in bese, ita ut priori casu quatuor uncia facultatum, non nisi patruo, patrum filio & nepoti cedant, posteriori omnibus agnatis: Emancipato etiam fratri, qui antea prorsus excluderetur, exemplo patrum hanc cum matre debere esse rationem, ut quatuor uncias hereditatis capiat.

VI Pater denique in filia sua emancipata successione partem ferebat, & cum liberis defunctae, suis nepotibus concurrebat, nisi, forte haec jure liberorum gauderet: Hoc in patre etiam, qui contracta fiducia emancipaverat filiam penitus sublatam, ut liberi in hereditate matris, jure liberorum etiam non gaudentis, avum suum, matris manumissorem penitus excludant per **L. GRATIANI, VALENTINIANI & THEODOSII AAA. 3. C. Theod. de leg. hered.** quam vide mutuatam & interpolatam in l. 4. C. ad Scr. *Orphician.*

CAPIT. IV.

EX JURE IMP. JUSTINIANI NOVISSIMO.

I. Portum fere teneo. Eo magis nunc lubet, respicere errores longos anfractusque, e quibus evasi. Nepotes ex filia, cum suis & cum agnatis admissi, utrorumque jura infregerunt; Emancipati emancipatae liberi, aviarum heredes, non male spem de avi etiam paterni hereditate olim obtinenda conceperunt; Pater jure proprietatis in adventitiis exitus, ubi post fratres defuncti se vocare vidit, sensit praeter fiduciam contractam succedendi jus sibi nasci; Mater, postquam deprehendit jus liberorum non amplius desiderari, non Tertulliano beneficio, sed suo cuiquam juri inniti coepit, potior agnatis quibusvis, quibus nunquam non in bese praeferebatur. Frater emancipatus, matris in quatuor uncias junctus, reliquos docuit, non consanguinitatis, sed proximitatis jure parentibus quondam esse sociandos

signum (nempe non amplius talis existens) praefertur (mater) juxta memoratam destinationem; vel certe, si patri persona intercesserit usque ad nepotem jus constitutionis temperatum suum tenet robur atque firmitatem.

dos; Filii denique matri se proprio jure succedere, non quaedam Orphiciani cum Terylliano compensatione crediderunt. Sed videndum est, quos cuniculos JUSTINIANUS ante egerit, quam celebratissima Novella omnem veteris successione compagem labefactavit.

II. Primum quartam, quasi Falcidiam, a nepotibus ex filia heredibus ex l. 4. C. *Theod. de legit. heredit.* agnatis praestandam iisdem l. 12. C. *de Suis & leg. ademit*, mox in l. 7. §. 1. C. *ad SCtum Teryllian.* in filii familias defuncti hereditate, relicto patri usufructu, matrem cum sororibus solam in dimidiam partem, cum fratribus vel solis vel sororibus mixtis in virilem portionem vocavit, ex filii emancipati hereditate usufructus bessellem patri & matri ex aequo tribuit, quatuor usufructus uncias cum omni proprietate fratribus & sororibus pro virilibus portionibus reliquit. Idem *eadem lege* pr. matrem, patre non superstiti, in filii hereditatem cum sororibus in partem dimidiam, cum fratribus & sororibus in virilem portionem succedere jusfit. Denique in leg. 14. pr. C. *de leg. hered.* feminas agnatas maribus aequavit, ut non tantum possit iis succedi, sed ut ipsae etiam possint succedere; in dict. l. 14. §. 1. unum gradum cognationis juri agnatico addidit, & germanae, consanguineae uterinaeque filium ad avunculi hereditatem cum fratre filii, quibus idem est patruus, vocavit, l. 15. §. 1. C. *ead.* emancipatos fratres cum suis fratribus & sororibus aequo jure succedere jusfit, d. l. 15. §. 2. fratrem & sororem, uterinos reliquorum fratrum & sororum legitimos effecit heredes & §. 3. emancipati fratris emancipataeque sororis liberos tertio gradu, aequo ut uterinorum liberos suis patruis & avunculis, & hos invicem illis succedere voluit. (oo) Post haec *Novella constitutionis* XLIX. cap. 4. delevit legis 4. C. *Theodosiani de leg. heredit.* eam partem, quae ex filia nepotes ad avi hereditatem admittebat, sed in duabus tertiis ejus portionis, quam mater habitura erat, si vixisset, nulla inter nepotes ex filio, & inter nepotes ex filia differentia introducenda. Deinde in *Novella* LXXXIV. concurrentibus de-

(oo) Non possum non commoda adeo occasione aliquid notare ad l. 5. C. *ad SCtum Orphician.* in qua de illustri muliere cujus res ad spurium filium,

functi germanis, cum consanguineis & uterinis, illos his præferri debere statuit, cum antiquo jure germani & consanguinei nullo discrimine agerentur. Tandem *Novella CXVIII.* condita succedunt, ex cap. I. primo ordine, descendentes omnes, sive Sui sunt, sive emancipati, sive masculi, sive feminae, sive agnati, sive cognati, sive primi gradus, sive ulteriorum, ubi in stirpes itur, liberis in parentum locum & portionem succedentibus. Ex cap. II. ordine secundo, ascendentes, & cum his fratres germani, & ex *novella CXXVII.* cap. I. germanorum fratrum liberi, in capita omnes; si ascendentes sunt soli, in quibus tamen proximior excludit remotiorem, in lineas, quas vocant, vel ut IMPERATOR loquitur, ut alteram medietatem accipiant, a patre ascendentes, a matre alteram. Ex Cap. III. ordine tertio, primo loco germani & eorum liberi, secundo fratres ex solo patre aut ex sola matre & horum liberi; tertio denique loco, ut quisque gradu est proximior, nullo inter agnatos cognatosque habito discrimine. Hæc *Novella* immo *Novella* JUSTINIANI est *Διάταξις*, & nisi aliud jubeant. Leges Patriæ; HOC JURE UTIMUR.

justis liberis existentibus, neque ex testamento, neque ab intestato, neque ex liberalitate inter vivos habita pervenire possunt, cum in mulieribus ingenuis, ut inquit IMPERATOR & illustribus nominari spurios satis injuriosum, satisque acerbum, & nostris temporibus indignum esse judicamus. Mira est hæc sapientia JUSTINIANI nostri, cui injuriosum videtur, in illustri femina & acerbum, spurium nominari, habere, non item. Alias graviore pœna &, quæ ipsas feminas illustres maneret, hoc sanxisset. Hanc legem, inquit, ipsi pudicitie, quam semper colendam censemus, merito dedicamus, egregiam sane, quæ immolatum pudorem necesse alieno expiare jubet. Video equidem quid pro lege dici possit: voluisse eam, ut ita illustres feminæ ab illicito concubitu absterreantur, & si non abstineant, in ista spuriorum pœna ipse magis quam liberi periclitentur. Sed ita nondum consultum partui innocenti neque est feminarum libidinolarum tantus in spurios liberos amor, ut eorum periculo valde moveantur. Immo virgo aut vidua illustris, spurii mater facta, si eum tenerrimo amore profecura est, ne in legem incidere, omne justorum liberorum desiderium dimisisse credi debet, quod quantum ad castitatem ævi Justiniani contulisse potuit, me tacente constat.

Erfurt, Diss., 1723

X 2386946

ULB Halle
007 436 556

3





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



P. 274

1723, 2^a

Pri. 48. num. 3. fo

2

**SUCCESSIONEM
INTER INGENVOS JURES ANGVINIS
AB INTESTATO
CIVILEM**

IN ALMA ET PER ANTIQVA HIERANA
MAGNIFICO RECTORE
REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI
DOMINO

DOMINO

JO. JOACHIMO HAHN

EPISCOPO METELLOPOLITANO

ET RELIQA

**SVMORVM IN VTROQVE JURE
HONORVM**

ADEVNDORVM CAUSA

ANNO dō MCC XXIII. IV. JAN.

PUBLICO EXAMINI SISTIT

**M. GEORGIUS CHRISTIANVS
GEBAVERVS**

FACULT. PHILOS. LIPS. ADS. ET ADV. JVR. SAX.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

